



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



3

DE GENUINA 75.
METHODO
DOCTRINAE
SCIENTIARVM
PROGRAMMA

Disputationibus publicis
quibus

Aristotelis Ethicorum ad Nicom.

LIBRI DECEM

examinantur

præmissum

à

JOAN Eisenhart

P. P.

HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI Acad. Typogr.

Anno M DC LXXXII.

22

73


DE GENIINA
METHODO
DOCTRINA
SCIENTIFICAM
PROGRASSUM

Alfredus...
Londini...

JOHN...
P. M.

THE...
LONDON...

...



§. I.



quod de Historici officio Tullius libro

11. de Oratore pronunciat; quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; idem nobis dicere liceat de officio eorum, qui artium ac

Omnis doctrina veritatem docere & falsum declinare debet;

scientiarum doctrinas tradunt, primam eorum legem esse, ne quid falsi dicere audeant; deinde ne quid veri non audeant, de iis videlicet rebus, quæ ad propositam methodum pertinent, intraque limites doctrinæ propositæ continentur.

§. 2. Etenim scientiarum atque artium facultates

pleræque proprium ac definitum habent genus, in quo vim docendi exercent, uti Philosophus 1. Rhetor. ad Theodectem, cap. 11. ostendit; Ex aliis (artibus) unaquæque in re sibi subjecta exercet vim docendi, ὡς τὸ αὐτῆ ὑποκείμενον ἢ διδασκαλικὴ καὶ πειστικὴ: veluti ars medica in sanabili & morbofo; Geometria in affectionibus quæ accidunt magnitudinibus; & Arithmetica in numero; similiter verò etiam reliquæ artes ac scientiæ.

de genere sibi subiecto,

§. 3. Et hoc genus proprium ac definitum, quod doctrinæ substratum est, primum quidem designat limites scientiæ, intra quos doctrina sese continere debet nec evagari ad ea, quæ à genere substrato aliena sunt; dein idem quoque designat naturam atque indolem principiorum, ex quibus demonstrationes fieri debent in doctrina proposita; Non enim licet, ut præclare Philosophus 1. Poster. Analyt. c. VII. ex alio genere in aliud migrantem demonstrare; sed ex eodem genere necesse est & extrema esse & media.

intra limites suos.

ex principiis genuinis;

§. 4. Præter duas jamjam dictas tertia quoque hæc

Justo con-
venientiq;
ordine.

Id quod
demonstra-
tur 1. ratio-
ne.

2. Aucto-
ritate.

observatione dignissima doctrinae lex est, ut omnia, quae ad
propositam doctrinam pertinent, justo convenientiq; modo & or-
dine tractentur. Cum enim omnia illa simul & uno momento
proponi haud possint, sed necesse sit alia quidem praemitti,
alia verò praemissis adjungi, tam diu donec ad finem tractatio
perveniat; In hac multitudine dicendorum vel proponendo-
rum vitata falsitate & confusione modum atq; ordinem ser-
vandum esse adeò manifestum est, ut res haec demonstratione
haud egere videatur: Finis enim cujus gratia scientiarum
atque artium doctrina traditur, nempe ut ex ejus perce-
ptione in animo vel audientis vel legentis scientia forme-
tur, obtineri non potest, nisi principia & conclusiones ve-
ritatem contineant, & singula scientiae membra justo con-
venientique ordine collocata ad percipiendum accommo-
date proponantur.

§. 5. Idem confirmat Aristoteles in *Categor. Cap. XII.*
ubi exponit, quot modis aliud alio prius dici possit; *Tertio,*
ait, *ratione ordinis prius dicitur, ut in scientiis & orationibus:*
Nam ordine prius & posterius inest in scientiis demonstrativis;
elementa namque sunt ordine priora descriptionibus; & in Gram-
matica elementa sunt priora syllabis: similiterq; in orationibus;
quoniam proœmium ordine prius est narratione. Ita ille; Per
elementa, quae in scientiis demonstrativis ordine priora
sunt descriptionibus, intelligit propositiones immediatas,
quae sunt principia demonstrationum, prout seipsum ex-
plicat 1. *Poster. analyticorum cap. XXIII. 1. 5.* Nam, ait, imme-
diatae propositiones sunt elementa, vel omnes, vel eae, quae
sunt universales. & *ibid. 1. 7.* sed principia & elementa tot
sunt, quot sunt termini, ex iis enim constitutae proposi-
tiones sunt *principia demonstrationis.* Diagramma autem seu *de-*
scriptio, ut Pacius interpretatus, hoc quidem loco integram
alicujus demonstrationis structuram & compositionem si-
gnificare videtur. §. 6. At-

§. 6. Atque hic *modus & ordo* doctrinae artis aut scientiae, quo singulae illius partes ad scientiam in aliis gignendam accommodatè disponuntur, communiter vocatur METHODUS; quanquam nonnulli inter Ordinem & Methodum doctrinae agnosci velint differentiam quandam, quam suo loco relinquimus; illud tamen ante omnia observatu dignum judicamus, quod M. A. Muretus *Commentar. in I. Ethic. Arist. cap. 1.* eleganter docet: Methodi nomen apud Græcos duobus modis accipi; interdum *pro ratione & via, quam in tradendis artibus sequimur*; in quo sensu Aristot. *V. Ethic. Nicom. cap. 1.* hac voce utitur, ἡ δὲ σκέψις ἡμῶν ἔστω καὶ τὴν αὐτὴν μέθοδον τοῖς περὶ τῶν ἀνωτέρων: id est, *Hac autem consideratio eadem docendi viâ, quâ in superioribus usi sumus, progrediatur*: Interdum verò, *pergit Muretus*, pro quolibet habitu, qui res sibi propositas adhibita ratione considerat: Atque in hoc posteriori sensu vocem illam Aristoteles adhibet tum in principio *Ethic.*, ad *Nicom.*, tum in principio libri I. de partibus animalium, nec non in fine libri *de Sophisticis Elenchis*, ubi μέθοδος & πραγματεία tractatio, tanquam synonyma ponuntur. Nos autem in priore significatione methodi voce nunc uti, ex iis, quæ ante diximus, patescit. Atque hoc sensu definitur methodus à B. Hornejo *Disp. Logic. IX. §. 66.* quod sit *transitus quidam cognitionis ab uno ad aliud*; Et si contemplationem ac scientiam ipsam à doctrina, quæ demonstrationes ad scientiæ habitum gignendum pertinentes ex principiis propriis ac genuinis deductas exhibet, separare licet, ipsius *doctrinae methodus erit transitus ab una doctrinae parte ad aliam ejusdem doctrinae particulam.* Ac consistit notitia methodi in cognitione eorum, quæ priori, quæque posteriori loco tradenda sunt.

Methodus
est ordo
doctrinae.

duplex ac-
ceptio vo-
cis Me-
thodi.

§. 7. Uti autem omnis ferè doctrina dividi posse vi-

Methodus
est aut uni-
versalis, aut
particula-
ria,

Methodi
objectum,
forma,
finis.

Utilitas
methodi &
confusionis
incom-
moda.

detur in partes proximas & remotas; & partes proximæ sunt vel libri vel capita, quibus doctrina in partes majores dividitur; partes autem remotæ sunt aut demonstrationes, ex quibus unumquodque caput vel membrum doctrinæ componitur, aut sunt definitiones ac divisiones & regulæ in qualibet doctrinæ particula traditæ; sic quoque *methodus* alia est *universalis* nempe dispositio partium totius doctrinæ vel scientiæ, alia est *methodus particularis*, quæ est dispositio membrorum cujusque partis: Exempli gratia, moralis doctrinæ methodus universalis ea est, quâ omnes hujus doctrinæ partes certo ordine disponuntur; particularis autem in hac doctrina est methodus singularum ejus partium & consistit in eo ordine, quo v. gr. traditur doctrina de felicitate, aut de principiis actionum humanarum, aut de virtute, aut de amicitia. Ex his manifestum est doctrinam ejusque partes & membra esse *materiam* & objectum methodi, ipsam verò *formam* in ordine seu dispositione & ratione compositionis illarum partium esse positam: *finis* autem, cujus gratia certus doctrinæ ordo, certa que doctrinæ partium dispositio, seu methodus doctrinæ requiritur, est docendi discendique facilitas, ut docens omnes ac singulas doctrinæ proponendæ partes justo ordine collocatas magis perspicue proponere & discens easdem judicio acuendo & memoriæ firmandæ idoneo ordine collocatas ac traditas feliciter comprehendere queat quam si confuse præpostereque omnia proponantur; quâ via & cum maximo labore vix pervenire possunt discentes ad perceptionem doctrinæ ac scientiæ, quam illa pollicetur, ad quam congrua methodo ducti sine magno labore maturius perducere potuissent.

§. 8. Etenim, ut verba Quintiliani ex *lib. VII. Institut. Orat. cap. I.* ad omnem orationem, non solum Rhetoricam, ut

sic

636
sic loquar, sed & Philosophicam & quamvis doctrinam quæ oratione constat, accommodem, oratio carens hac virtute (ordinis) tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohereat sibi, multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine proposito casum potius quam consilium sequatur. Et Cicero de legibus libr. II. jurisconsultos sui temporis arguit methodi imperitos: Sed *ſCiti*, ait, sive erroris objiciendi causa, quo plura & difficiliora scire videantur; sive, quod similis veri est, ignoratione docendi, (nam non solum scire aliquid artis est, sed quadam ars etiam docendi) sæpè quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartiuntur. Eadem illa ex genuinæ methodi neglectu incommoda notat Aristot. de Partibus animal. lib. I. cap. I. verba ejus hæc sunt: *Quamobrem opus est haud ignorari, quonam modo tractandum sit; utrum, inquam, communiter primum per generis complexionem, post verò affectiones proprias considerare oporteat; an protinus ad singulas species earumque affectiones declarandas procedendum sit?* Atque hoc postremum si fiat & generali tractatione omissa de iis quæ generi insunt, inq; omnibus aut præcipuis speciebus generi subjectis eodem modo sese habent, statim ad singulas species earumque affectiones & accidentia tractatio descendat, hoc incommodum oriri docet Philosophus, ut sæpenumero verba eisdem de rebus facienda sint; qualis sanè repetitio & indecora & docentibus ac discipulis molesta est; Hactenus enim nulla ratio postulat in infinita dispartiri id, quod in una cognitione positum est. Sed uti in qualibet alia sic & in multitudine rationum & quæ ex his deducuntur conclusionum, ex quibus doctrina componitur, congrua dispositio & justus ordo vel silentibus nobis sese satis commendat.

§. 9. Jam uti omnis doctrina à scientia proficiscitur,
fieri

Methodi
origo &
causa effi-
ciens.

fieri enim non potest, ut aliquis doctrinam quandam tra-
dat, nisi scientia sit instructus, & vicissim doctrina tendit ad
propagandam interque posteros conservandam scientiam;
omnis enim scientia doceri apta est, & quod sciri potest, di-
sci idoneum est, ut *VI. Ethic. Aristoteles cap. III.* diserte pro-
nunciat, *διδασκῆ πᾶσα ἴσθημι δοκεῖ εἶναι, καὶ τὸ ἴσθητὸν μαθητὸν:*
sic etiam omnis methodus doctrinæ una cum doctrina ex sci-
entia procedit; *atque eadem recta ratio que principia scien-
tiarum investigavit, simul quoque rimata est scientia per do-
ctrinam propagandæ aliisque imprimendæ viam & methodum.*

Primum
principi-
um de me-
thodo do-
ctrinæ

§. 10. Cæterum etsi hæc origo methodi extra controversiã
posita esse videtur, ipsa tamen species, & ut sic loquar, *structu-
ra methodi* non est omnis controversiæ expers. Et primum
quidem principium de methodo doctrinæ, quod *omnis do-
ctrina ex notioribus & præcognitis deducenda sit*, nullam ha-
bet dubitationem, cum ita evidens hoc sit, ut mentis ino-
pia laborare videatur, qui id negare aut in dubium voca-
re audeat; debita tamen applicatio hujus principii una cum
aliis de genuina doctrinæ methodo rectæ rationis pronun-
ciatis passim solent negligi.

Præcogni-
ta scientia
rum
communia

§. 11. Ut autem de notioribus illis & præcognitis, ex
quibus doctrina ordiendæ est, paulo plenius dicam, sunt
notiora illa & *præcognita* partim *communia* omnis doctrinæ
cujuscunque artis ac scientiæ, quædam verò sunt præco-
gnita scientiæ cujusque propria: Inter *communia* illa *præco-
gnita* certus ordo quoque est, qui non sine magna erudi-
tionis solidæ jactura negligitur. Literarum & *Grammatices*
cognitio omnium reliquarum facultatum & scientiarum
doctrinam antecedere debet; hanc excipit cognitio *Logi-
ces & Rhetorices* una cum notitia terminorum Philosophi-
corum communissimorum, qui in *Metaphysicis* explicantur:
Scili-

Scilicet cognitum esse debet, quid & quotuplex sit *principium* & *principiatum*, *causa* & *effectus*, & reliqua hujusmodi. Horum enim terminorum usus in omni arte ac scientia sane per amplius est, licet eorum sinistra expositio & mala applicatio passim quoque conspicua sit; quo tamen abusu sobrius ac necessarius eorum usus tolli ac proscribi non debet.

§. 12. Practicæ quidem Philosophiæ & Jurisprudentiæ doctrina ex ipso naturæ instituto ad praxin deducenda & dirigenda est; sed *totâ praxi innititur cognitioni ac scientiæ rerum agendarum*; Et sine illa praxis nulla esse potest, non secus ac manuariæ artis magister & opifex nullus esse potest, nisi cognitione & peritia eorum, quæ ad eam, quam profitetur, artem pertinent, sit instructus. Quod verò scientiam praxeos directivam attinet, in media supplicationum & appellationum praxi occurrit *materialium ac formalium* mentio, in quorum alterutro si defectus sit notabilis, supplicantes aut appellantes repulsam ferunt: Nec leges Imperii dedignantur in eo genere nomen *formalium* ulurpare, ut ex Novissimo Imperii Recessu manifestum est. Quod si & in cujuslibet contractus aut negotii civilis doctrinâ nomen *effectus* tutò adhibemus ad significandam vim ac potestatem negotii, obligationemque & actionem inde promanantem; quare in eodem genere *causarum* nomen abominamur? Quippe effectus aliquis sequi non potest causa non præexistente; Si verò omnem effectum causa ad illum producendum ordinata antecedit, quam obrem refugimus id dicere, quod res est, & causam non appellamus eam quæ causa est, quamque clarissimi hujus & superioris ævi Antecessores causam vocare nunquam dubitarunt. In aperto quidem est *causa* nomen in Juris civilis doctrina interdum alia significare quam ad quæ significanda in Philosophicis scientiis

Praxis quoque theoriam & præcognita sua habet,

In media praxi forensi occurrunt termini philosophici materialium & formalium; effectus,

& causarum.

adhibetur; sed varias hasce & legitimæ scientiæ domesticas ac proprias illius vocis acceptiones locis congruis declarare ac distinguere operæ precium fuerit; vulgatum enim est, *qui benè distinguit, benè docet; quanquam & qui male distinguit male docet, & qui nihil distinguit nihil docet.*

Præcognita scientiarum propria.

Duplex modus tradendæ doctrinæ
1 levis ac simplex
2 diligentissima atque exactissima interpretatio.

§. 13. Fatendum tamen est, ut omnem aliam sic practi- cam & juris civilis doctrinam eo quem rei tractandæ indo- les recipit & postulat modo atque ordine tradendam esse; Atque de hoc modo & ordine cujuslibet doctrinæ genuino ac domestico rectè judicandi facultas magna pars est præcognitorum, quæ cujusque scientiæ propria sunt. Duplex in univèrsum est *modus tradendæ alicujus doctrinæ* ad scientiam inde in aliis excitandam; *prima est levis ac simplex via* qua generalia doctrinæ membra justo &, quantum licet, pleno ordine disposita ex genuinis principiis declarantur: post *deinde diligentissima atque exactissima singulorum doctrinæ membrorum interpretatio*; prout duplicem hanc metho- dum Imperator Justinianus in §. 2. *Institut. de justitia ac jure* inculcari permisit: quæ divisio modi tradendæ alicujus doctrinæ non alii innititur fundamento, quam ut capacita- ti discipulorum doctrina accommodetur, id quod ex dicto §. 2. patet.

In unoquoque doctrinæ modo discentes ad causarum cognitionem perducendos esse

§ 14. At verò quoniam finis cujuslibet doctrinæ & methodi hic est ut per eam scientia earum rerum, de quibus doctrina agit, discere cupienti imprimatur, scientia verò est cognitio rerum indubitata ex causis veris & indubitatis de- ducta, & *scire est rem per causam cognoscere*, propter quam res est; hinc fanè manifestum est, ut ut jus civile primum le- vi ac simplice via tradendum sit, in hac tamen docendi sim- plicitate, quantacunque demum exigatur, non posse citra jacturam finis ex doctrina sperandi declarationem causa- rum cu-

rum cujusque rei ac negotii civilis omitti quippe uti aliarum rerum sic & negotiorum civilium cognitio non aliunde quam ex causis eorum cognitis hauriri potest. Sed hoc quidem argumentum plenius nunc exequi non vacat.

§. 15. Posito jam, uti ante dictum, duplici doctrinae modo, levi nimirum ac simplice via & diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione, haud decet ignorare, in utroque illo methodum doctrinae universalem, quæ partium totius doctrinae dispositionem vel ordinem complectitur, videri eandem esse oportere, idque tum ex ipsa rei tractandæ indole, quæ hætenus nullam varietatem admittit, ut postea indicabitur, tum propter docendi discendique facilitatem in priori pariter & in posteriori doctrinae tradendæ modo: Nam si doctrina in levi ac simplice via ad metam sibi propositam pervenerit, eos, qui studia sua ad aliquam maturitatem perducere optant, alteram quoque illam viam oportet ingredi, quæ diligentissimâ atque exactissima singulorum interpretatione constat: hanc autem posteriorem ingressis si novus quoque & à priore via diversus ordo partium ejusdem doctrinae proponatur, nova quoque difficultas illius ordinis cognoscendi suboritur: Nemo enim discendi avidus adeo incuriosus est, quin & dispositionem & ordinem & connexionem partium doctrinae nosse gestiat; *ordo enim est maxime, qui lumen memoriae affert*, ut apud Cic. de Oratore lib. 11. legimus; & rei tractandæ genuinus ordo iudicium quoque acuit, dum ea, quæ generi universo insunt ejusve consuetaria sunt, singulis quoque sub eodem genere comprehensis speciebus inesse, eodem doctrinae continuato tractu declarantur.

§. 16. Ac talis ordo doctrinae, quo eidem generi subjectæ species continuata orationis serie citra interpositionem hetero-

Universalis
doctrinae
ordo idem
esse debet
in levi ac
simplice
docendi
via & ea
quæ accur-
ratissima
est

Naturalis
methodi
lex homo-
geniæ &
coordina-
tionis.

geneorum traduntur; eaque quæ lumen intelligentia aliis sup-
peditant, his præmittuntur; & subnectuntur ea quæ intelli-
gentie lumen à prioribus accipiunt; talis inquam ordo ac
methodus omni doctrinæ est naturalis, quocunque demum
modo, id est, seu levi & simplice via, seu diligentissima atq;
exactissima singulorum interpretatione ea tractetur: Unde
manifestum est in omnibus libris doctrinam ejusdem sci-
entiæ complectentibus sive levi ac simplice via id fiat, sive
idem fiat accuratissima & plenissima singulorum interpre-
tatione, eandem doctrinæ partium dispositionem retinen-
dam esse.

Vitiosæ
methodi
imago pro-
ponitur,
in disjun-
ctione con-
jungendo-
rum;

in repeti-
tione ca-
rundem
doctrinæ
partium.

Principia
demonstra-
tionum ea-
dem in di-
versis ejus-
dem do-
ctrinæ par-
tibus repe-
ti possunt
ac pro re-
nata de-
bent,

§. 17. Et hac *methodi conformitate* neglecta ferè nihil
aliud obtinetur, quam ut docentibus pariter ac discipulis
inutilis creetur molestia; quæ longè major evadit, *si ea, quæ*
naturali cognitionis lege connexa sunt disjungantur, & uno a-
liquo membro tractari cœpto transcat ad aliud rei ad e-
andem licet universalem doctrinæ methodum pertinentis
genus, ac longo demum intervallo revolvatur tractatio ad
complendum illud, quod jam ante cœptum. Omnium ve-
rò molestissimum est, *si unum idemq;* argumentum diversis
in locis *reperatur*, atque, ut Aristoteles loco supra allegato
ait, *verba sæpenumero de iisdem rebus fiant*.

§. 18. Eadem principia quidem & eadem definitiones,
quatenus ad conclusiones diversas diversis in locis demon-
strandis adhibentur, aliquoties repeti & inculcari debent;
de his enim verum est, quod vulgo dicimus, *nunquam satis*
dicitur, quod nunquam satis discitur; talia vero sunt *princi-*
pia maximè, quæ ut Aristoteles libro *de Sophisticis Elenchis*
cap. ult. 1. 6. consideratè dicit, *quo potentiore sunt facultate,*
eo minore sunt magnitudine, ideoq; difficillima visu; quamob-
rem sæpe inculcanda sunt, ut videantur: At verò si inte-
grum

grum aliquod argumentum in eadem doctrina diversis in locis per quæstiones aut demonstrationes tractetur, manifestum hoc indicat genuinæ methodi defectum; quem dissimulare non oportet, si tempus & occasio moneant.

§. 19. Ex hæcenus dictis facile intelligi potest, in omni doctrina alicujus scientiæ duo spectanda esse, primum quidem *principia & conclusiones* de genere scientiæ subjecto iisque quæ in ipsa rei scientia demonstrantur; alterum est *Methodus*, quæ dispositionem partium & modum tradendæ doctrinæ propositæ complectitur. Et modus ille non tantum dividitur in *levem vel simplicem viam* quæ per generalia maxime procedit, & *diligentissimam ac plenissimam* singulorum interpretationem, quæ & controversias omnes plenissime discutit, & ad singularia quoque praxeos ostendendæ causa progreditur; sed etiam modus ille aut est *exotericus* seu popularis, cum doctrina proposita sententiis & opinionibus seu auctoritate potius quam ratione confirmatur; aut modus ille est *acrobaticus*, cum ex veris ac genuinis principiis doctrina deducitur & confirmatur. vid. Cl. Rachel. *Introduct. in Ethic. Aristot. cap. X.* Divisio methodi in syntheticam & analyticam in Aristotelis quidem Philosophia fundamentum non habet; nisi forte huc velimus trahere locum in *Cap. IV. lib. I. Ethic. Nicom.* ubi differre dicuntur *οἱ δὲ τῶν ἀρχῶν λίγοι, καὶ εἰς τὴν πρῶτην ἀρχήν*: i.e. demonstrationes in quibus ex præmissis principiis primis per ea quæ conclusioni viciniora sunt ad conclusionem ex his deductam proceditur; & eæ in quibus à conclusione præmissâ proceditur ad principia ex quibus dicta conclusio fuit. At hæc tantum est methodus singularum demonstrationum, non verò totius doctrinæ. Quanam autem sit partium doctrinæ genuina dispositio ex ante dictis quodammodo patet.

Cujuslibet
doctrinæ
materia
consistit
in principiis & conclusionibus, forma consistit in methodo.

§. 20. Principiorum verò & conclusionum virtus est veritas cognata generi doctrinæ subjecto: *Tria* namque sunt, quæ *in demonstrationibus* ac scientiis spectantur; primum *conclusio* quæ demonstratur, id est, quod alicui generi per se inest; Alterum *axiomata* & principia, ex quibus demonstratio conficitur; tertium est *genus subjectum*, cujus affectiones & per se accidentia demonstratio declarat: & ex eodem genere oportet & principia esse & conclusiones, prout Aristot. ostendit libro *I. Poster. Analyt. cap. VII.* & ex eo jam supra indicavimus. Finis autem demonstrationis ac scientiæ proximus & internus est veritas; hujus enim gratiâ proximè & immediatè expetitur demonstratio ac scientia; nisi malimus dicere demonstrationes esse propter scientiam, hanc verò expeti tanquam veritatis cognitionem; veritatis autem cognitio ex naturæ instituto ad doctrinam propagandam & actiones dirigendas rectèque suscipiendas ordinatur.

Doctrinæ
veritas sal-
va esse pot-
est licet di-
spositio vi-
tiosa.

§. 21. Quod si jam in doctrina à vetusto aut recenti auctore tradita unum ex iis duobus approbemus, e. gr. veritatem principiorum ac conclusionum, in ordine autem & methodo doctrinæ unum alterumque defectum notemus; siquidem defectus ille evidenti ratione demonstratur, hic quidem conatus extra justam reprehensionem est positus; non enim eo ipso corrigitur veritas, id enim tentare absurdum foret; sed ostenditur concinnior modus tradendæ veritatis & genuina methodus doctrinæ restituitur, quæ veritatis docendæ discendæque magis expeditam rationem continet.

Aristoteles
summus
methodi
artifex;

§. 22. In iis tractatibus quibus Aristoteles ultimam manum imposuit & quorum libri eo defuncto non sunt disjecti, sed ordinem pristinum retinuerunt, dispositionem
ac me-

ac methodum rei tractandæ planè naturalem jure admira-
mur; atque hujus generis cum primis est ipsius Organon,
quod concinnitate & elegantia methodi omnium ingenio-
rum opera facilè superat; Sed in ipsius Ethicorum & Po-
liticorum libris nonnunquam deprehendimus universalem
methodum minus commodam, id quod de Politicis de-
monstravit Cl. Conringius induct. suæ in Politica Ari-
stot. cap. II. & Cl. Rachelius de Ethicis idem monuit *Intro-*
duct. in Ethica cap. XII.

methodus
Ethicorum
ac Politico-
rum, Arist.
injuria tem-
porum cõ-
turbata.

§. 23. Sed de genuina moralis doctrinæ metho-
do, & qua ratione Aristotelis ad Nicomachum libros
Ethicorum in ordinem Aristoteleis de recta methodo
alibi traditis præceptis congruum redigi posse existi-
mem, salvò aliorum judicîo, paucis agere visum. Itaque
post caput octavum libri primi collocanda existimo ea,
quæ in libro X. cap. VI. VII. II. IX. de felicitate humana
velut per modum repetitionis traduntur, declaratis simul
gradibus beatitudinis; quo ipso simul patebit & *virtutum*
tàm intellectualium quam moralium dari gradus, infra in
speciali ambarum doctrina plenius explicandos; ac de-
inceps reliqua libri I. capita eò, quò jacent, ordine
subnectantur. Hac enim ratione *sine interruptione con-*
junctam habebimus *tractationem de felicitate*, una cum
temperamento quodam ac descensu à summo ejus apice ad
modum & gradum remissioem, ad quem in vita sua homi-
ni pervenire liceat; & sic ad praxin magis idonea evadet
hæc moralis doctrinæ portio, quam alias tàm altè consti-
tutam deprehendimus quo industria humana haud potest
eniti. Quod enim in libro X. Ethicorum *repetitio doctrinæ*
de felicitate facta est, hoc *oratorio* potius, quam Philoso-
phico *more* factum videtur; in aliis libris Aristoteles magis
conci-

De Aristote-
tel. Ethic.
methodo
ad ejus
principia
genuinæ
methodi
restituenda
de summo
bono & fe-
licitate hu-
mana

conciſas habet epilogoſ, nec adeò prolixè repetit jam ante dicta; quanquam in illo libro X. ne quidem repetiverit eadem verba eaſdemque demonſtrationeſ de felicitate, ſed primæ ejuſ tractationi novaſ adjecerit demonſtrationeſ, quaſ uno tractationiſ contextu complecti manifeſta ratio poſtulat. Quippe methodi genuinæ hæc quoque neceſſaria & præclara lex eſt, ut *transitus ad alia priuſ non fiat, quam omnia tradita ſint qua de propoſito argumento tradenda ſunt*; quam legem Ariſtoteles in reliquiſ ſuiſ operibuſ & libriſ Ethicis quoque accuratè obſervat, excepta tractatione de voluptate quæ itidem diverſiſ in lociſ traditur, id quod minus Ariſtotelicum eſſe jamdudum annotavit Cl. Racheli⁹.

De virtute
intellectua-
li.

§. 24. Quum in fine libri I. Ethicorum Ariſtoteles *virtutes humanas* dividit in *intellectuales ac morales*; huic diviſioni *primo loco* ſubjungendam fuiſſe exiſtimo doctrinam libri VI. *de virtutibus intellectualibus*; idque haſ ob cauſaſ; primum quoniam omniſ reliqua tractatio moralis eſt de principiis actionum humanarum, de virtute morali aut de amicitia, hæc verò morali quam intellectuali virtuti magiſ eſt conjuncta; adeoque huic cognatæ tractationi ipſa illa doctrina virtutum intellectualium minus concinnè interponitur: Id quod jam alioſ ſenſiſſe deprehendo, quibuſ de virtute intellectuali ultimo loco in Ethicis agere viſum; dein uti iſtitutio & doctrina quædam actioneſ antecedere debet, nemoque rectè poteſt agere niſi rectè agendi regulam vel normam aliquam mente priuſ comprehendat, ſive ea in *preceptionibuſ* de morum honeſtate ſive in *exempliſ* boniſ conſiſtat quorum imitatione animum ſuum ad honeſtatem componat; ſic quoque *intellectus humani perfectionem voluntariſ & appetituſ perfectio præſupponit*, eam ſaltem, quæ rerum agendarum ac fugien-

giendarum scientia constat: In hac tamen doctrina vel hanc ob causam de toto genere virtutum intellectualium commodè agitur, ut constet in quonam prudentia & reliqui habitus intellectuales differant: Tandem & doctrina de principis ac differentiis actionum humanarum, in qua de conscientia ejusque speciebus agi oportet, sua præcognita habet in doctrina virtutum intellectualium, ubi de cognitione certa & dubia ac probabili agitur; & cum inter principia actionum humanarum numeretur scientia juris & facti, hujus sanè scientiæ fundamenta non aliundè quam ex doctrina de prudentia possunt repeti; præclarè Aristot. VI. Ethic. cap. VII. ἄδ' ἴσιν ἡ φρόνησις τῶν καθόλου μόνον, ἀλλὰ δεῖ καὶ τὰ καθ' ἕκαστα γινώσκειν, πρακτικὴ γάρ ἡ δὲ πράξις ὡς τὰ καθ' ἕκαστα. Nec universalium scientia sola sed & singularium seu facti scientia prudentiam constituit; ἀκτινα enim est; actiones verò versantur in rebus singularibus. Et omnis ignorantia & error aut est universalium aut singularium, vel est ignorantia juris aut facti; de utraque agit quoque Aristoteles d. l. VI. cap. XIX. Adeoque de virtute intellectuali tractatio hanc quoque ob causam antecedere debet tractationem de principis actionum humanarum, quod hujus præcognita in illius tractatione exhibeantur.

§. 25. Igitur doctrinam virtutum intellectualium libro VI. Ethicorum comprehensam proximè sequi debet tractatio de principis ac differentiis actionum humanarum, quam Aristoteles libri III. Ethic. cap. I. II. III. IV. & V. pertractat; & hic quoque affectuum nec non voluptatis ac doloris doctrina genuinum suum locum in morali scientia agnoscit; affectus enim nec non voluptatem & dolorem inter principia actionum humanarum numerari oportere manifestum est; & voluptas ac dolor sunt quoque σημεῖα, id est,

De principiis ac differentiis actionum humanarum.

C

signa

signa & indicia actionum, quæ sponte aut ab invitis geruntur;
 & mixtæ actiones, ut vocantur, ex iisdem principiis dijudi-
 cantur. Adeò diffusa autem de voluptate ac dolore tra-
 ctatio, quæ apud Aristotelem libro VII. & X. Ethicorum
 exstat, ad naturalis scientiæ doctrinam potius videtur per-
 tinere, ex qua moralis Philosophus ea quæ tum de affecti-
 bus tum de voluptate in Ethicis cognita esse oportet repe-
 tere debuit. In duplici fanè illa tractatione de voluptate
 Aristoteles non respexit ad suam hypothesein *lib. I. Ethic.*
cap. ult. præclarè traditam, θεωρητέον, αἰτ, καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ
ψυχῆς: θεωρητέον δὲ τῶν χάριν, καὶ ἐφ' ὅσον ἰκανῶς περὶ τὰ ζη-
τούμενα: Philosophus practicus & de anima ejusque passio-
nibus & harum principiis & affectionibus contemplatio-
nem suscipere debet, sed in quantum opus ad doctrinam practi-
cam: post interna actionum humanarum principia de exter-
nis earundem principiis agi quoque debuit, de concursu Dei
& aliorum qui sunt extra agentem, quotuplex ille concur-
sus sit; ubi de causa physica & morali, & imputatione ac con-
sequentibus meritis & gradibus actionum moralium: Unde
constat & primam Philosophiam haud parum conferre ad
perfectionem moralis scientiæ.

In Ethicis
 prius de a-
 ctionum
 humana-
 rum prin-
 cipiis, quæ
 de morali
 virtute agi
 oportere.

§. 26. Hæc autem tractatio de principiis ac differen-
 tiis actionum humanarum antecedere debet doctrinam de
 virtute morali in genere: Virtus enim circa actiones ver-
 satur, per actiones crebras & rectæ rationi conformes ac-
 quiritur, & ipsa quoque productrix est actionum rectæ ra-
 tionis conformium; hujusmodi verò actionum perinde ut
 aliarum rerum accurata cognitio ex causis & principiis ea-
 rundem procedit, quamobrem *principia & differentia actio-*
num humanarum, cum in iisdem causæ & objecta virtutum
ac vitiorum moralium delitescant, tanquam præcognita de-
bent

benè præmitti doctrina generali de virtute ac vitio morali: Benè Aristoteles I. Ethic. ad Nicom. cap. IV. δευτέον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν γνωρίμων, à notioribus doctrina ordiendā est; facilius autem obtineri potest qualiumcunque actionum notitia, quam distincta honestarum ac turpium actionum cognitio; Spontaneum verò aut deliberatum esse sunt communes differentiæ honestarum ac turpium actionum, atque ab his Philosophus lib. III. Ethicor. cap. I. arcescit initium hujus doctrinæ de principiis actionum humanarum.

§. 27. Igitur finitam demum jamjam dictam tractationem sequi debet doctrina libri II. Ethicorum de virtute ac vitio morali in genere, cujus libri elegans dispositio ex singulorum ejus capitum inspectione cognosci potest. Ad investigandam enim accuratam definitionem *virtutis moralis causas* ejusdem prius declarat, & singulas illius definitionis particulas prius demonstrat, dein ex conclusionibus antea demonstratis ipsam *definitionem colligit*, & tum demum *divisiones* virtutum ac vitiorum moralium proponit, singulasque virtutes & singula vitia veluti in tabula delineata repræsentat Aristoteles. In harum verò divisionum structura, quantum quidem in morali doctrina fieri potest, accuratus ordo haud negligendus fuerat.

§. 28. Et mediocritas ejusque excessus ac defectus rectè ita ostenditur in affectibus animi & actionibus, ut in nonnullis affectibus & actionibus mediocritas illa & ejus aberratio in habitum virtutis aut vitii consurgere notetur, in aliis verò mediocritas illa & excessus & defectus saltem affectuum indolem retinere deprehendantur; quo pertinet *verecundia*, impudentia, & pudor subrusticus seu stupor; item *indignatio*, invidia & malevolentia.

§. 29. Videntur autem & semivirtutum ac semivirtuorum

De virtute ac vitio morali in genere

Mediocritas alibi in habitum consurgit;

alibi in affectu subsistit;

Cum divisionibus

virtutum
& semivir-
tutum &
virtutis he-
roicæ divi-
siones
conjugi
debere.

De ordine
specialis
doctrinæ
virtutum
moralium.

tiorum species statim hic declarari debuisse, nec non virtutis heroicæ partes & habitus ferini. His enim differentiis, nempe quomodo virtutes ratione graduum inter se differant præmissis, specialis doctrina singularum virtutum & vitiorum moralium commodius ita tradi potest, ut *in unaquaque virtutis ac vitii specie notentur tres illi gradus*; qua ratione, si actus cujuslibet virtutis & vitii in triplici illo gradu conjunctim declarentur, judicium practicum facilius observare potest progressum in qualibet virtute & quolibet vitio, tum sui ipsius, tum aliorum.

§. 30. Specialis denique virtutum ac vitiorum moralium doctrina à cap. VI. libri tertii inchoata per totum librum quartum & quintum ab Aristotele pertractatur: Et hujus quidem doctrinæ ordo derivari debet ex eo capite quo species virtutum & vitiorum moralium conjunctim exhibentur. Aristoteles lib. V. Ethic. cap. I. docet *justitiam universalem* inde hoc nomen habere, quod ex omni virtute morali ea sit composita; & injustitia quoque universalis ex ejusdem sententia non est μέρος κακίας, pars vitii, sed ὅλη κακία, totum vitium, seu complexus omnium vitiorum: & in fine capituli, eadem virtus moralis, ait, quatenus ad alterum spectat justitia vocatur, quatenus est talis habitus, nempe qui in mediocritate ad agentem relata consistit, virtus simpliciter dicitur. Et diversa illa ratio mediocritatis in virtute & justitia, quam Aristoteles non uno in loco inculcat, hætenus solam particularem justitiam à reliquis virtutibus distinguit. Quod si itaque *justitia universalis* est totum quoddam ex universa morum virtute compositum, de hujus munere atque officio utique prius conjunctim agendum, dein singula ejus partes explicanda veniunt: Et si illud Aristotelicum πρὸς ἑτέρου, in qua justitiæ & virtutis mora-

moralis differentia collocatur, accuratius expendamus in-
quirendo quis & quotuplex fit ille ἕτερος alius, erga quem
virtus exercenda, deprehendimus & cultum Dei, qua-
tenus ille naturā notus, & pietatem erga patriam vel Rem-
publicam in qua quis vivit, & virtutem erga proximum
quemcunque, cujuscunque demum sit conditionis, illo uni-
versalis justitiæ ambitu contineri.

§. 31. Particularis methodus, qua Aristoteles specia-
lem singularum virtutum & vitiorum moralium doctrinam
pertractat ab ipso indicatur *lib. III. Ethic. Nicom. cap. V.* in
fine his verbis: ἀναλαμβάνοντες δὲ καθ' ἑκάστης ἐπιπέδου τίνες εἰσὶ, καὶ
καθ' ἣ ποῖα, καὶ πῶς; *repetita tractatione virtutum moralium,*
(quam libro II. jam exorsus erat, sed eidem interposuerat
doctrinam de principiis ac differentiis actionum humana-
rum,) *de singulis virtutibus (ac vitiis ei oppositis) nunc dica-*
mus 1. quid quæque virtus sit & unumquodque vitium; (&
hoc per definitionem cujusque debet expediri;) 2. in qui-
bus actionibus versetur unaquæque virtus & unumquodque
vitium: 3. quomodo in iisdem actionibus versetur, tum semi-
virtus, tum virtus perfecta, tum virtus heroica; item tum se-
mi vitium, tum vitium commune, tum vitium immane seu im-
manitas: tres enim hi virtutis ac vitii gradus per singulas
virtutum species sese videntur diffundere: Et excellens
gradus virtutis moralis excellentem quoque includit co-
gnitionem eorum quæ ad illam virtutem pertinent; Con-
tra enorme vitium morale consummatum quidem imma-
nam quoque includit inscitiam veræ virtutis & falsam per-
suasionem de bonitate illorum actuum, in quibus versatur.
Uti enim virtus moralis perfecta est habitus proæreticus
cum vera seu recta ratione activus, sic vitium morale con-
summatum est habitus proæreticus cum falsa ratione acti-

De parti-
culari me-
thodo spe-
cialis do-
ctrinæ vir-
tutum mo-
ralium.

vus. Atque hæc falsa seu falsis de rebus agendis ac fugien-
dis opinionibus ac sententiis imbuta atque obfessa ratio in-
ter mortales passim observari posset, si quis animum serio
advertat.

De cura-
tione vi-
tiorum
moralium.

§. 32. Speciali huic virtutum ac vitiorum moralium
tractationi & *curationum moralium* doctrinam singulis vi-
tiorum speciebus subnexam inferi posse existimo, nec opus
esse duco separatam moralis doctrinæ partem ex ea consti-
tui. Nimirum in illa curatione omnes morbi, ad quem
tollendum curatio adhibenda, fontes obstruendi sunt, ad-
eoque & *intellectus practicus ante omnia liberandus est à fal-
sis persuasionibus de rebus agendis*; idque obtinetur veritatis
demonstratione & falsarum sententiarum confutatione; *re-
liqua vis curationis in assuefactione & voluntatis atque appe-
titus cum recta ratione conformatione sita est*; ad quam appe-
titus & actionum cum recta ratione conformationem ho-
nestatis amantes virtutis amore ducuntur, improbi autem
legum severitate in officio continentur.

De justitia
particulari

§. 33. Inter illas virtutes quæ sub complexu justitiæ
universalis comprehenduntur, ultimo loco numeratur *justi-
tia particularis*, majore parte libri V. ab Aristotele declara-
ta, quæ cum suis speciebus & extremis eodem quò anterio-
res habitus morales ordine pertractari debet, ut primum
explicetur *quid*; deinceps *circa quæ*, ubi plenior distribu-
tionum per omnes earum species deducta explicatio in A-
ristotele desideratur: inter commutationum species præter
eas quæ libro V. Ethicorum declarantur numerari debent
species amicitiae utilis tam legitimæ quàm moralis; his enim
revera subest *κοινωνία ἀλλακτική*, conjunctio personarum ad
commutationem rerum aut operarum inita. Correctio-
num quoque & justitiæ correctivæ species, quæ in repara-
tione

tione aut averfione damni, nec non coercitione delictorum verfantur non fatis distinctè sunt traditæ. τὸ πᾶς, id est, *distributionum & commutationum & correctionum*, uti & earum, quæ ad reliquas morum virtutes referuntur, actionum *modus à recta ratione activa definitur*; atque illa rectæ rationis dictamina per totam moralem doctrinam sese diffundunt, conjuncta cum reliquis hujus doctrinæ principiis quibus non quidem modus actionum sed alia, quæ ad eas pertinent, declarantur.

§. 34. Illarum autem quæ *in civili societate* actiones honestas ac justas definiendo præcipiunt & turpia atque illegitima definiendo prohibent, *agendi rationum collectio* vocatur *Jus Civile*, quod ex naturali ac positivo jure compositum & *æquitatis temperamento subiectum* est: Unde apud Aristotelem ejusdem libri V. Ethicorum parte posteriore conspicua est tractatio de jure naturali, & positivo; nec non de æquo bono, unde *legum interpretatio* haurienda est, cujus tamen interpretationis una tantum species ibidem exponitur; cum alias *interpretatio realis*, qua mens ac sententia legis declaratur, triplex sit, nimirum 1. *simplex interpretatio*, quæ locum habet quoties casus seu proposita facti species sub certa quadam minimeque ambigua juris dispositione in terminis terminantibus comprehenditur; Et hoc quidem casu lex & æquitas in eadem juris dispositione conveniunt; 2. *interpretatio extensiva*, quæ locum habet cum verba legis quidem particularia sunt, mens verò ac sententia legis generalior, ut ex rationis identitate lex æquitate naturali dictante extendi quoque debeat ad casum de quo verba legis præcisè non loquuntur. Tertia denique est *interpretatio restrictiva*, quam unicam Aristoteles in Ethicis elegantissimè declarat.

De Jure & Æquitate

De legum interpretatione

1. simplice

2. extensiva

3. restrictiva

De amicitia.

35. Ex superioribus patet doctrinam prioris partis libri VII. Ethicorum de gradibus virtutum moralium a nobis connexam esse cum reliqua virtutum ac vitiorum moralium tractatione, cui Aristoteles contra principia genuinae methodi interposuit doctrinam virtutum intellectualium: partem verò dicti libri VII. posteriorem, quæ de voluptate ac dolore agit, una cum libri X. capitibus quinque prioribus, quibus idem argumentum repetit reduximus ad tractationem de principiis & differentiis actionum humanarum, & reliqua dicti libri X. capita repetitionem aut accessionem doctrinæ de felicitate complectentia, ad librum primum pertinere ostendimus, ubi hoc argumentum tanquam in nativa sua sede tractatur. Superest itaque liber octavus & nonus Ethicorum de amicitia ejusque speciebus, officiis & horum gradibus ac cognatis; quod argumentum cum doctrina de æquitate, ad quam moralis doctrinæ partium ordinem paulo ante deduximus, nexu insolubili conjunctum est: & alias quoque *tria illa semper sunt conjuncta idemque objectum habent, societas, jus & amicitia*, ipso Aristotele hoc docente lib. IIX. Ethicorum cap. IX. Nimirum *officia socialia*, quæ vi in itæ societatis a sociis invicem præstari debent, ipsa quoque sunt officia justitiæ & amicitiae, nec inter se differunt præterquam præstationis affectu & causa impellente; *amici ex mutua benevolentia invicem ultro exhibent ea, ad quæ socius refractarius legum vi & auctoritate judicis compellitur*; amicum disponit & gubernat dilectio proximi, socium refractarium disponit lex & magistratus. Quæ itaque adeò arctè juncta sunt & in iisdem rebus versantur sine pudendo boni ordinis neglectu divelli nequeunt. Verum & hic sententiam dicat ipse Aristoteles lib. IIX. Ethic. ad Nicom. cap. I. §. 22. τῶν δικαίων τὸ μάλιστα, φιλι-

Φιλικόν εἶναι δοκεῖ. *Præcipuum atque optimum jus amicitia officia continere videtur, & lib. V. dicti operis cap. X. τὸ Ἰστικὸς δικαίως πρὸς, βέλτιστόν ἔστι δικαίως, Æquum in jure aliquo optimum jus est:* Hinc autem ultro sequitur, τὸ Ἰστικὸς, seu id, quod *jus æquum* vocatur & legitimi juris interpretationem continet, licet in *lib. V. Ethic. cap. X.* per definitionem explicetur, per singulas tamen partes species ac gradus plenius atque uberius in doctrina de amicitia declarari.

§. 36. Et hæc quidem Aristotelis de amicitia tractatio est specialioris de Jure naturali doctrinæ insignis portio: Cum enim jure naturali definiantur primum quidem *officia hominum communia* cujusque sexus & conditionis; de his agitur in doctrina de temperantia & reliquis virtutibus moralibus. Ac virtutis moralis orientis velut aurora est *verecundia*, tenerioris ætatis ad virtutem propensæ & turpitudinem averfantis dispositio; perinde ut *inverecundia* ac *impudentia* in puero & adolescente index est animi honestatem fusque deque habentis & malitiæ una cum atate crescentis; deinde eodem naturali jure definiuntur *officia propria* imperantium & subjectorum, parentum ac liberorum, mariti & uxoris, seniorum ac juniorum, æqualium inter ipsos, fratrum, cognatorum, lociorum &c. Et horum doctrina continetur libro II. & IX. Ethicorum.

§. 37. Atque hoc modo sese habet genuinus ordo partium moralis doctrinæ in Aristotelis Ethicorum libris ex *naturalis methodi lege* ab ipso Aristotele partim exemplis partim rationibus declarata, *quæ omnia ex notioribus deduci & unum idemque argumentum conjunctim* sine interpositione eorum, quæ sunt alterius loci, *tractari jubet* repetitus & compositus. In pauciora membra hic ordo potest contrahi, *si quatuor causarum genera in eo contemplemur, supponendo*

Specialis
doctrina
de Jure na-
turali.

Concilio
dispositio
Moralis
doctrinæ.

Actionum
humana-
rum
fines
principia,
modi,

Facti spe-
cies ethica

Naturalis
metho-
di
lex brevi-
tatis;
lex harmo-
niæ.

nendo *genus morali doctrinae subiectum*, in quo hæc doctrina vim docendi exercet, esse *actionem humanam*; Nam ut Aristot. X. *Ethic. Nicom. cap. ult.* circa finem rectè dicit, *moralis doctrina pertinet ad philosophiam περὶ τὰ ἀνθρώπινα, de actionibus humanis*: Harum *fines* primo loco declarantur in morum doctrina; *principia* & causæ productivæ secundo loco; deinceps *objecta & modi, seu materia & forma*, in tractatione de virtutibus & vitiis & amicitia: In hac enim doctrina actiones humanæ per sua objecta, in quibus aut secundum aut contra dictamen rectæ rationis activæ versantur, in species dividuntur; & *facti species ethica* constituitur *reductione actionis ad certam definitamque virtutis aut vitii moralis aut amicitie speciem*. Atque hoc modo informatur intellectus practicus ad rectè judicandum de singulis actionibus, si perceptis iis, quæ unicuique insunt, actio reducatur ad certam definitamque facti speciem, *ut jus in facto positum* quod in moralibus vocatur dictamen rectæ rationis activæ intueri detur, deque facto proposito per applicationem juris ad factum pronunciare liceat.

§. 38. Aliæ quoque sunt Naturalis methodi leges, videlicet *ne ulla pars doctrinae necessaria desit, nec ulla adsit pars superflua*; item, *ut singula doctrinae membra congruam habeant aequalitatem, ac justa proportionem singula tractentur & unumquodque pro dignitate*; nimirum ubi materiae conditio prolixitatem aliquam desiderat, pleniore tractatione opus est; ubi autem pars aliqua doctrinae paucis expediri potest, otiosæ quæstiones non sunt cumulandæ, ut tractatio plenior videatur. Sed harum naturalis methodi legum usum & neglectum, indeque orientia vel commoda vel incommoda in ipsis rerum argumentis ostendere jam non vacat. Cum autem prædicti Operis Ethici Aristotelei nativa pul-

va pulchritudo ex *nativo* ejus *ordine*, quem ante ostendimus, manifesta sit; nunc quoque de *veritate* morum doctrinae ab Aristotele traditae agendum foret; sed hanc operam in ipsa cathedra exequi visum, ordine productis quibusdam amoenioris ingenii Academiae nostrae civibus, qui ad solidam rerum divinarum atque humanarum scientiam hac demum ratione se eniti posse confidunt, si doctrinam auscultatione, lectione ac meditatione perceptam in disputatione quoque defendere ac tueri possint; Tantum videlicet scimus, quantum non solum memoria tenemus, sed etiam judicio comprehendimus, & quantum veris rationibus tum confirmare tum adversus contradicentes defendere valeamus. Ordo autem tum Respondentium tum Disputationum is erit, quem haec & sequens pagina exhibet: Et hoc quidem exercitium per singulos Mercurii ac Saturni dies horis matutinis Deo volente instituemus, prout jam tum coepimus. Dabam in Academia Julia Mense Maio, anno MDCCXXXII.

Nomina Respondentium

NICOLAUS JOHANNES LETH, *Danus.*

GEORG DIDERICH HALBP APE, *Hildesiensis.*

CHRISTIAN ULDARICH BLUME, *Hildes.*

PAULIIS ARNOLDUS ENGELBRECHT,

Guelpherbytanus.

ANDREAS FRANCISCUS VOIGT, *Riddagsh.*

HEINRICH CHRISTOPH HATTORF, *Ostero-*

dâ Grubenb.

JOHAN DITRICH SALTER, *Hannoveranus.*

GEORG EHRENFRIED à NAUNDORFF,

Eq. Misn.

HERMAN DANIEL CLEVE, *Be-verâ-Brunsf.*

RUDOLF, CHRIST. ab IMHOFF, *Guelpherbyt.*

CATALOGUS DISPUTATIONUM

Disp.		Disp.	
I.	ad libri I. Ethic. cap. I. II. III.	XXVI.	ad libri VI, cap. I. II.
II.	IV. V. VI.	XXVII	III. IV.
III	VII. VIII IX.	XXVIII	V. VI. VII.
IV	X. XI. XII. XIII.	XXIX	VIII. IX. X.
V	ad libri II. Ethic. cap. I. II. III	XXX	XI. XII. XIII.
VI	IV. V. VI.	XXXI	ad libri VII. cap. I.
VII	VII. VIII. IX.	XXXII	II. III. IV.
VIII	ad libri III. Ethic. cap. I.	XXXIII	V. VI. VII.
IX	II. III. IV.	XXXIV	VIII. IX. X.
X	V. VI.	XXXV	XI. XII. XIII. XIV.
XI	VII. VIII. IX.	XXXVI	ad libri VIII. c. I. II.
XII	X. XI. XII.	XXXVII	III. IV.
XIII	ad libri IV. cap. I. II.	XXXVIII	V. VI.
XIV	III. IV.	XXXIX	VII. VIII.
XV	V. VI.	XL	IX. X. XI.
XVI	VII. VIII IX.	XLI	XII. XIII. XIV.
XVII	ad libri V. Cap. I.	XLII	ad libri IX. c. I. II. III.
XVIII	II. III.	XLIII	IV. V. VI.
XIX	IV.	XLIV	VII. VIII. IX.
XX	V.	XLV	X. XI. XII.
XXI	VI.	XLVI	ad libri X cap. I. II. III
XXII	VII.	XLVII	IV. V.
XXIII	VIII.	XLVIII	VI. VII.
XXIV	IX.	XLIX	VIII.
XXV	X. XI.	L.	IX.

F I N I S